

## CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS

Moses accipit a Deo *missiōnis tria signa triplicis conversionis*: primum, virga in colubrum; secundum, manus in lepram; tertium, aquae in sanguinem. Secundum, Moses ab hac missione varie se excusat; tandem irascente Deo acquiescit, reditque in Egyptum cum uxore et filiis. Tertio, vers. 24, Angelus minatur Mosi mortem: hinc uxor circumcidit filium; mox Angelus Mosen dimittit. Denique, vers. 27, Aaron Dei monitu fratri Mosi occidit.

1. Respondens Moyses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam; sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. 2. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. 3. Dixit Dominus: Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. 4. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. 5. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. 6. Dixitque Dominus rursus: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. 7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquae. 8. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. 9. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem. 10. Ait Moyses: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et audierunt tertius; et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditoris et tardioris linguae sum. 11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? nonne ego? 12. Perge igitur, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. 13. At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. 14. Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te letabitur corde. 15. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus; et ego ero in ore tuo, et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis. 16. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu autem eris ei in his quae ad Deum pertinent. 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 18. Abiit Moyses, et reversus est ad Jethro socerem suum, dixitque ei: Vadam et revertar ad fratres meos in Aegyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace. 19. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, et revertere in Aegyptum: mortui sunt enim omnes qui querebant animam tuam. 20. Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Aegyptum, portans virgam Dei in manu sua. 21. Dixitque ei Dominus revertenti in Aegyptum: Vide ut omnia ostenta quae posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. 22. Diesque ad eum: Haec dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel. 23. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut serviat mihi; et noluisti dimittere eum: ecce interficiam filium tuum primogenitum. 24. Cumque esset in itinere, in diversorio occurrerit ei Dominus, et volebat occidere eum. 25. Tulit illico Saphora acutissimam petram, et circumcidit praeputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. 26. Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum, ob circumcisionem. 27. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. O

obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. 28. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, et signa quae mandaverat. 29. Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. 30. Locutusque est Aaron omnia verba quae dixerat Dominus ad Moysen, et fecit signa coram populo, 31. et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum: et proni adoraverunt.

1. NON CREDENT, — populus et plebs Hebraeorum: quia inter eos multi sunt durae cervicis. Nam de senioribus praedixerat Deus cap. ii, vers. 18, eos credituros, cui sine dubio Moyses fidem habebat. Tertia est haec Mosis excusatio ob populi incredulitatem: hinc Deus ad signa descendit.

2. QUID EST QUOD TENES IN MANU TUA? — Deus rogat Moysen non quasi ignorans, sed ut ei det occasionem respondendi ejus, quod volebat ab eo audire.

RESPONDIT: VIRGA — pastoralis, qua oves regibat. In Hebraeo pulchra est pronomasia: quaesierat Deus מַטֵּה מַטֵּה, « quid hoc? » respondit Moyses: מַטֵּה מַטֵּה, « est virga. »

Quaeres, quid ad litteram significet haec virga? Respondet R. Abraham: Virga est Pharaos, qui tempore Josephi erga Hebraeos fuit instar virgae mollis, et ad nutum Josephi flexilis; sed mortuo Josepho, versus est in colubrum insidiando Hebraeis, eisque exitum machinando; verum in fine rursus factus est quasi virga, dum per plagas Mosis domitus, Hebraeos Aegypto exte permisit, imo compulsi.

Verum dico: Haec virga ejusque metamorphosi significabantur vices et vicissitudo Hebraeorum, sive tres eorum status in Aegypto. Hebraei enim virgam, id est sceptrum et principatum tenebant, vivente et regente Josepho; eo vita functo virga haec in terram projecta est et versa in colubrum, quia Hebraei prius cari, post mortem Josephi exosi fuerunt Aegyptiis, ac si essent colubri, qui insidias et nocem machinantur Aegyptiis; rursus hic coluber in virgam reversus est in manu Moysi, ut habent Hebraei, quia Moses populo suo rursus sceptrum, libertatem et dominationem attulit. Ita Lyranus, Abulensis, Pererius.

Symbolice, haec virga significabatur ducatus et summa potestas, quam Mosi mox daturus erat Deus, qua Aegyptios percussit et punivit, Hebraeos vero tenuit, duxit et gubernavit; virga enim haec fuit Mosi instar sceptri, quod Aegyptiis formidabile fuit et exosum instar serpentis, Hebraeis vero amabile instar virgae et baculi pastoralis. Militatur ergo a Deo Moyses armatus, non lancea, sed baculo, verum thaumaturgo, eoque debellat Aegyptum. Hic est typus Christi militantis Apostolos cum baculo, eosque armantis potestate patrandi miracula, quibus orbem sibi subigant, Marc. cap. ult. vers. 17. Unde S. Bernardus: « Insonat, ait, tuba salutaris, coruscant miracula, et mundus credit:

cito persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur ostenditur. » Hujus virgae Mosaicae partem inventam esse anno Christi 1008, ad eamque ex Gallia, Italia aliisque provinciis confluisse plurimos narrat ex Glabro Baronius anno jam dicto.

Allegorice, virga est crux Christi lignea, quae in serpentem est versa Judaeis et impiis: hi enim crucem quasi supplicium malefactorum exhorrescunt; sed per caudam, id est in fine mundi, eam apprehendent, scientes non colubrum esse, sed virgam, id est Dei virtutem et sapientiam. Ita S. Cyrillus, Origenes, homil. 4; S. Augustinus, serm. 86 De Temp.

Rursus Cyrillus in Collectan. in Exodum: Virga, inquit, est humana natura, quae recta a Deo condita est, et posita in paradiso, ubi erat in manu Moysi, id est in cura et protectione Dei; per peccatum haec virga projecta est in terram, cum ei dictum est: « Terra es, et in terram revertentis; » hic versa est in colubrum, quia serpenti tentanti creditur, consensit et cohesit; et, sicut serpens innatum habet venenum, ita nos peccatum originale ab Adamo per naturalem propaginem contrahimus, per quod quasi serpentes humi serpiamus, et non nisi terrena sapimus: Christus hunc serpentem apprehendit non in capite ubi habet venenum, sed in cauda, quia humanam naturam sine peccato assumpsit. Rursus, in cauda, id est in ultima aetate mundi, humanam naturam assumpsit, itaque eam sibi et Deo univit, imo pulchriorem et augustiorem effecit. Ita Pererius.

Anagogice, idem Cyrillus. lib. De Incarnatione, cap. xiv: Virga, inquit, est Christus, qui est potentia Patris, qui tenet virgam sive sceptrum regni et aequitatis. Haec in serpentem versa est in incarnatione; humana enim natura per peccatum a Deo facta est maligna ut serpens: peccatoris autem naturam et similitudinem induit Christus; hinc serpens in deserto exaltatus, significabat Christum in cruce exaltatum, ut dicitur Joan. iii, 14. Serpens hic per resurrectionem rursus factus est virga, id est dominus, rex, iudex, triumphator, et princeps caeli et terrae.

Pari modo Cyrillus ibidem, cap. xv, sequens signum lepra Moysi, de Christo nato, passo et resurgente interpretatur.

Tropologie, virga est disciplina, correctio et Tropologie castigatio, quae initio pueris, imperfectis et immortificatis horrida videtur ut serpens; sed in fine, cum ejus fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam et pastorem: nam, ut ait

Virga ducens in colubrum et gaudet, haec tres Hebraeorum status.

Symbolice, haec virga significabatur ducatus et summa potestas, quam Mosi mox daturus erat Deus, qua Aegyptios percussit et punivit, Hebraeos vero tenuit, duxit et gubernavit; virga enim haec fuit Mosi instar sceptri, quod Aegyptiis formidabile fuit et exosum instar serpentis, Hebraeis vero amabile instar virgae et baculi pastoralis. Militatur ergo a Deo Moyses armatus, non lancea, sed baculo, verum thaumaturgo, eoque debellat Aegyptum. Hic est typus Christi militantis Apostolos cum baculo, eosque armantis potestate patrandi miracula, quibus orbem sibi subigant, Marc. cap. ult. vers. 17. Unde S. Bernardus: « Insonat, ait, tuba salutaris, coruscant miracula, et mundus credit:

Allegorice, virga est crux Christi.

Secundo, virga est humana natura, quae per peccatum quae versa est in colubrum.

Anagogice, idem Cyrillus. lib. De Incarnatione, cap. xiv: Virga, inquit, est Christus, qui est potentia Patris, qui tenet virgam sive sceptrum regni et aequitatis. Haec in serpentem versa est in incarnatione; humana enim natura per peccatum a Deo facta est maligna ut serpens: peccatoris autem naturam et similitudinem induit Christus; hinc serpens in deserto exaltatus, significabat Christum in cruce exaltatum, ut dicitur Joan. iii, 14. Serpens hic per resurrectionem rursus factus est virga, id est dominus, rex, iudex, triumphator, et princeps caeli et terrae.

Tropologie, virga est disciplina, correctio et castigatio, quae initio pueris, imperfectis et immortificatis horrida videtur ut serpens; sed in fine, cum ejus fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam et pastorem: nam, ut ait

hebraici. Apostolus *Hebr.* xii, 41 : « Omnis disciplina in presentem quidem videtur, non esse gaudii, sed mrorris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitia. »

3. **ITA UT FUGERET MOYSES.**—Erat enim hic coluber ex magna virga productus magnus horridusque : unde Philo eum vocat draconem serpentum principem.

Vers. 5. 5. **UT CREDANT.**—Subaudi, hoc signum virgæ facies coram eis, ut scilicet eam mutes in columbrum, ac rursus in virgam : hoc fine, ut credant te a me esse missum.

Vers. 6. 6. **QUAM CUM MISSSET IN SINUM, PROTULIT LEPROSAM.**—Secundum est hoc signum manus leprose et sanate.

Symbolice ad litteram, Moses manum mittens in sinum, significabat se habere curam populi, eumque quasi sinu suo gestare, *Nam.* xi, 42. Manus enim significabat populum Hebræorum : unde in sinu Mosis manus facta est leprosa, quia cum viderent Ægyptii populum habere ducem Mosen, ab eoque foveri, erigi et defendi, cœperunt eum durius tractare et affligere; sed Moses eam secundo mittens in sinum, id est plenam et perfectam populi curam suscipiens; eum per plagas Pharaoni immissas vindicando, manum reduxit sanam et integram, quia populum ex Ægypto salvam eduxit.

Symbolice et tropologicè, hoc signum significabatur causa afflictionis Hebræorum : manus enim in sinu, sunt Hebræi in cultu, ac religione, et conueniunt in cura et sinu quasi Dei; hic manus facta est leprosa, quia Hebræi prolapsi sunt ad idola et vitia Ægyptiorum; sed hæc elinit Deus, manumque a lepra expurgavit, cum rursus Hebræos per Mosen in sinu suo condidit, acceptans eos in suum populum, suamque Ecclesiam. Ita S. Cyrillus et Theodoretus.

Addit Theodoretus Deum voluisse hoc signum Mosen admonere perpetuæ humilitatis, quando manum ejus futuram thaumaturgam, et ipsa etiam elementa commutaturam, prius lepra infectam.

Allegorice S. Augustinus, serm. 86 *De Temp.*: Manus, inquit, leprosa est Synagoga Judæorum, que lepra, id est, infidelitate in Christum, infecta, rejecta fuit a Deo; huic successit manus nitida, id est, Ecclesia fidelis Gentium, a Deo electa.

Secundo Pererius : Manus Mosis, inquit, est Christus Filius Dei, qui est quasi manus Patris; per ipsum enim Pater fecit omnia. Hic erat ab æterno in sinu Patris, sed cum foras prolatus est per incarnationem, visus est leprosus, id est, laboribus doloribusque obrutus. Unde Isaias, *LXX*, ait : « Non est species ei, neque decor, et nos putavimus eum quasi leprosum. » Sed retractus rursus per resurrectionem et ascensionem in sinum Patris, sedensque ad dexteram Dei, gloriatus apparuit.

Allegorice manus leprosa est Synagoga infidelium Judæorum. Secundo, manus leprosa est Christus mortuus et resurrexisset.

8. **NEQUE ADIERINT VOCEM SIGNI PRIORIS.**—Id est vocem signo priore confirmatam : signum enim muta voce loquebatur, sermonem Mosis esse sermonem Dei, hujusque rei signum hoc sigillum erat.

9. **SUME AQVAM FLUMINIS.**—Nil. ET VERTETUR IN SANGUINEM. — Tertium hoc signum, quo Moses vertit aquam in sanguinem, appositum fuit : eo enim Ægyptiis infanticidium Hebræorum quasi exprobravit, eorumque sanguinem hoc sanguine vindicavit, portenditque illorum in aquis et mari Rubro suffocationem, qui parvulos Hebræorum aquis merserat. « Dignum enim fuit ut is fluvius, cui parvulos Hebræorum crudeli nece mergendos tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, et cruciorem polluti gurgitis, quem parvicali eade muerant, potando sentirent, » inquit Origenes, *homil.* 4, et ex eo S. Augustinus, serm. 87 *De Temp.* Putat Josephus Mosen hoc tertium signum, æque ut duo priora, expertum esse, et fecisse hic coram Domino. Verum melius Philo censet Mosen tantum duo priora signa hic coram Domino expertum esse, tertium vero hoc signum distulisse, et reservasse ut illud faceret coram Pharaone : hoc enim significat hic Scriptura.

Tertullianus, lib. *De Resurr. carnis*, cap. xxviii, tria per tria hæc signa mystice accipit triam virtutem Dei : hæc enim primo, colubrum, id est diabolum, subegit; secundo, carnem leprosam, imo corruptam, de sinu mortis in resurrectione extrahet; tertio, omnem sanguinem, inquit, exsequitur judicio, id est, justo judicio a morte vindicabit, et suscitabit omnem sanguinem in martyrio aut morte effusum, per communem omnium resurrectionem.

10. **OBSECO, DOMINE.**—Subaudi, parce mihi, noli me mittere. Hoc enim intelligitur per aposiopesisin.

NON SUM ELOQUENS. — Symmachus, *non sum eloquens*, id est disertus; hebraice, *non sum vir verborum*, qui scilicet multa facunde loquitur, ut Pharaon oratore tam jejunum non sit auditurus.

AB HERI ET NUDISTERTIUS, — a superiori tempore : est hebraismus.

ET EX QUO.—Hebraice, *etiam ex quo mecum locutus es*, q. d. Nec alloquio tuo evasi facundior, ut ex verbis meis nosse potes; quare minus est consona expositio Philonis, que talis est: Cum meam eloquentiam tuæ, o Domine, comparo, me mutum et elinguentem agnosco : alia enim est mens Mosis, uti mox demonstrabo.

IMPEDITIORS ET TARDIORIS LINGUE SUM. — Nota hic verba pendant a præcedentibus, q. d. Etiam ex quo mecum locutus es, Domine, impeditioris lingue remansi, nec evasi eloquentior, cum tamen tu linguas infantium facias sepe disertas. Male ergo Biblia Regia hæc dirimunt per hypo colon, positum post *seruum tuum*, ut nova deinde sententia incipiat, hæc scilicet, *impeditioris et*

Vers. 8.

Vers. 9.

Aqua versa in sanguinem si quis dixerit in la fontaine d'Egypte, in nazet Rubro.

Quintuplex lingua vitium in Mose.

Vers.

tardioris lingue sum. Ex priori lectione, que germana est, putant aliqui defectum hunc lingue in Mose fuisse nectum ex visione et colloquio Dei, propter summam divinæ majestatis admirationem, et reverentiam Mosis. Verum contrarium innuunt Hebræa; sic enim habent : « Mi Domine, ego non sum eloquens, etiam ab heri, etiam a nudistertius, etiam ex eo tempore quo locutus es ad servum tuum; quia gravis oris, et gravis lingue sum ego, » q. d. Nunquam fui eloquens, ne quidem ab eo tempore quo tu mecum locutus es, quia natura impeditam et tardam habeo linguam. Chaldaeus vertit : *Quia gravis loquela et profunde lingue ego sum*, q. d. Difficiliter et tarde loquor, ita ut videar ex profundo et imo pectore verba trahere. Impedimentum aliud gracilitatis exprimit Septuaginta dum vertunt, *ὀργήσωνες, καὶ ἄβηδύσωνες ἐπὶ στίμῃ*, gracili voce et tarda lingua ego sum : idque de gracili voce secuti sunt Origenes, *homil.* 3; S. Hieronymus, *Jerem.* cap. i; Philo, Theodoretus, Augustinus, *Quæst.* X et XVI, ubi ait : « Forte fastus regius non permittebat accedentes de proximo loqui, » ut merito timeat Moses se, ob gracilitatem vocis, a Pharaone non audiendum.

Est hæc quarta Mosis excusatio, qua missionem ad Pharaonem detrectat, petita ab impedimento lingue. Ubi nota quintuplex illud in Mose fuisse : primo, quod, ut indicant Hebræa, esset homo paucorum verborum, id est, dicendi jejunus et inops; secundo, quod in dicendo non esset eloquens, sed rudis, inconditus et ineligans; tertium, quod in sermone non esset promptus, sed tardiloquus; quartum, quod voce esset gracili et exili; quintum, quod lingua esset impedita, ut aliquas litteras et voces bene pronuntiari non posset; forte etiam quod esset balbus vel blæsus. Ob hosce defectus Moses, cap. vi, vocat se incurcumisum labiis.

Nota hic humilitatem Mosis, qua sua vitia confitetur, legationem tam honorificam detrectat; hinc meruit ut, per vocem ejus infirmam, Deus confunderet eloquentes et sapientes Ægyptiorum, ait Theodoretus.

Queres, an hoc vitium lingue Mosis fuerit naturale, an ex accidente ei obvenit? Aliqui apud Ilugonem Victorinum putant hoc tantum lingue vitium in Mose fuisse, quod scilicet per 40 annos quibus vixerat in Madian, oblitus esset linguam Ægyptiacam. Verum non hoc idiomatis, sed aliud lingue vitium, imo vitia in Mose ponit hic Scriptura. Secundo, Hebræi tradunt quod Moses, cum esset triennis, prunas candentes ori admoverit, et extremam linguam adusserit, indeque lingue hoc vitium contraxerit; sed hæc Judoorum est fabella. Tertio, Orige *es, homil.* 3; S. Gregorius, *homil.* 8 in *Ezech.*, et Rupertus, lib. 1 in *Exod.* cap. xviii, putant Mosen per se fuisse disertum, sed postquam cepit colloqui cum Deo, compactione divine sapientiæ et eloquentiæ, visum

An vitium lingue in Mose fuerit a natura? Prima sententia. Secunda. Tertia.

sibi se esse infantem et mutum; idque « ab heri, et nudistertius, » id est ab hoc triduo quo tecum, Domine, locutus sum : hinc enim patet, hæc inter Deum et Mosen non uno, sed tribus diebus esse acta et dicta.

Verum hæc expositio refellitur, ex eo quod Moses post hoc colloquium cum Deo manserit infacundus et tardiloquus, et, ut ipse ait cap. vi, vers. 12, incurcumisus labiis : unde ibidem ei Deus socium et interpretem addit Aaronem, qui pro Mose loquatur ad populum.

Dico ergo hoc vitium lingue naturale fuisse Mosi, et a natura ei insitum, non autem ex accidenti ei obvenisse. Mosen ergo ita indiserturn elegit Deus ad hanc legationem, fuit ut Mosen in humilitate per hunc defectum contineret, tum ut Hebræorum libertatio non eloquentiæ Mosis, sed Dei potentie tribueretur; infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Pari modo elegit Deus rudes et indiserturns Apostolos, per quos orbem convertit. Ita Theodoretus.

Nota : Moses infacundus fuit exterius apud homines, sed interius facundus fuit apud Deum, quia efficacia sue orationis et sanctitatis impetravit a Deo quidquid voluit, ut patet *Exodi* xxxii, vers. 11 et 14.

11. **QUIS FECIT OS HOMINIS? AUT QUIS FABRICAVIT EST MUTUM ET SURDUM? NONNE EGO? — q. d.** Ego sum qui sensus, sensuumque usum do et adimo, cum mihi libuerit, ut et balbis linguam expediám, et lingua agiles cum placet constringam : cum ergo te nunc mittam, et legatum meum designem, os quoque et facundiam tibi dabo.

Disce hic facundiam et gratiam sermonis esse donum Dei, vel naturale, vel supernaturale. Hinc Platoni, cum adhuc infans dormiret in cunis, apes mellis copiam in os instillare sunt vise; quod presagium erat, ex Platoni ore, Dei dono, fluxuram orationem melle suavorem. Hinc et Xenophon ab elegantia sermonis vocatus est Musa Attica. Sic et in S. Ambrosio cum adhuc infans esset, ore examen apum consedit, quod divinum viri eloquentiam præmonstrabat, inquit Paulinus in ejus Vita. S. Dominici mater gravida, sibi visa est in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet : quo somnio significabatur fore, ut S. Dominicus sua concione facunda et fervida, piæque cunctos ad Dei amorem inflammaret. Simile quippiam contigit matri S. Bernardi, qui vere fuit mellifluus. Mirum vero est quod subinde videmus homines tetricos alias et inficetos, facundia a Deo donari, multaque gratiose et eleganter proloqui. Ita cum Cencraetis, natura durus et tetricus, gratiose et festivo loquebatur, ac mirarentur audientes, dixit Plato : « Quid miramini? nonne inter carduos et utricos lilia plerumque et rosas enasci cernitis? »

13. **OBSECO, DOMINE, MITTE QUEM MISSURUS ES.**— Vers. 13. q. d. Alium mitte, quem te missurus præsei-

Quarta et vera fuisse a natura.

Vers. 11.

Vers. 13.

visti. Hebr. est, mitte, quæso, per manum (scilicet alterius), quem mittes, q. d. Ad legationem hanc tantam alio, meque aptiore ulere instrumento; hoc enim Hebræis est manus.

Nota Cajetanus quintam hanc esse excusationem Moysi. Prima enim fuit cap. II, vers. 11, ex sua inhabilitate, quod ad tantum munus esset ineptus et impar. Secunda, cap. II, vers. 13, ex ignoto Dei nomine. Tertia, cap. II, vers. 1, ex incredulitate Hebræorum. Quarta, cap. II, vers. 10, ex suo lingue vitio. Cumque videret has excusationes non acceptari a Deo, quintam hanc addit interpellationem et supplicationem, qua omnino conatus est a se excutere, et in alium rejicere hanc missionem, obsecrans: « Mitte quem misurus es, » q. d. Mitte quemcumque volueris, modo ne me mittas inidoneum ad tantum munus. Ita Vatablus.

Quare non recte Lyranus putat, his verbis Moesen orasse Deum, ut definite Aaronem fratrem suum mitteret, utpole qui se esset eloquentior, quique, ut addunt et fingunt aliqui Rabbinii, haecenus prophetam egerat in Israel. Non recte etiam R. Salomon putat Moesen petisse mitti Josue, de quo sibi revelatum erat, quod post mortem suam induceret Hebræos in Chanaan. Verba enim Moysi generalia et indefinita sunt. Secundo, multi Patres, ut S. Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius, scribentes contra Judæos, et Rupertus, putant Moesen hic petisse adventum Messie; hujus enim nomen erat « missus » vel « mittendus, » ut patet Genes. XLIX, 10, q. d. Quandoquidem, o Domine, statuis mittere Messiam, eumque ut nos peccato liberet, aliquando missurus es, eum nunc potius mitte, ut populum tuum eadem opera ex Aegypto liberet. Hic sensus valde probabilis et accommodatus est, quidquid objicit Abulensis, et audacter nimis tantis Patribus obstrepit Euguibinus. Ita enim olim alii Patriarchæ in gravibus causis, semper ad Christum promissum respiciebant, et ad eum suspirabant, ut patet de Jacob Genes. XLIX, vers. 10 et 18.

Quæres, an Moyses peccarit toties renitendo vocationi et missioni Dei? Aliqui Hebræi censent Moesen peccasse mortali incredulitate, diffidentia et inobedientia; ideoque punitum esse in eo quod Hebræos non induxerit in terram promissam. Sed hæc nimis dura et fundamentum carens est censura: nec ob hæc, sed ob aliam diffidentiam ad aquas contradictionis, Moyses exclusus est terra sancta, ut patet Numer. XX. Magis insulsum est quod ait R. Salomon, Moesen ob hoc peccatum privatum esse sacerdotio, illudque translatum esse ad Aaron. Secundo, S. Basilius, Gregorius, Hieronymus, eosque citans Pererius omnino excusant Moesen, ejusque excusationem quasi ab humilitate profectam laudant, tum quia Moyses sciebat cor perversum et inexorabile Pharaonis, atque duram cervicem Hebræorum, ait Basilius, quam se putabat frangere non posse; tum quia

Quinque excusatio Moysi.

Moses accepit mitti Aaronem, nec Josue.

An Christum?

An Moyses peccarit toties excusando? Prima sententia.

Secunda.

veri obedientis est, honorifica (qualis erat hæc missio) refugere et detrectare; ad dura vero et aspera se ultro et alacriter offerre, ut docet S. Gregorius, lib. XXXV Moral. XII. Pari modo Saul se quasi indignum excusavit a regno, I Reg. cap. IX, et Jer. cap. I, a prophetia et predicatione. « Moyses, inquit S. Gregorius, quia apud se mente humilis existit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit. Paulus vero cum ab Agabo, quanta se adversitas in Hierosolymis maneret, audivit, protinus respondit: Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu. Præseunte ergo utrorumque ducum infracta virtute instituitur, ut si obedientia palmam apprehendere veraciter nititur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus. »

Verum dico cum Cajetano et Abulensi, Moesen peccasse venialiter pusillanimitate et inobedientia; cum enim suam infirmitatem perpenderet, illi nimis inhaesit, arbitrans se infirmior esse quam quitantum onus a Deo impositum sustinere posset, non cogitans Deum, qui se vocabat, sibi quoque vires et animos suppeditaturum. Licet ergo Moyses directe non repelleret, nec detrectaret voluntatem Dei, cupiebat tamen Deum aliud velle, aliumque mittere, et ad hoc nimis, adeoque quinto Deum urisit; quare merito ei, quasi nimis tergiversandi iratus est Deus: vel, ut hebraice est, וַיִּתְּרוּ אֵת מֹשֶׁה׃ id est subito excauduit, salva tamen amicitia cum Mose: unde mox hanc iram clementia temperavit, Mosenque jam acquiescentem ad Pharaonem misit, addens ei socium Aaronem.

Dices: Moyses sciebat jam ante se electum a Deo ad hoc munus; ideoque tam animose, quam periculose Aegyptium illum occidit, uti ex S. Stephano ostendi cap. II, 12: quomodo ergo hic factus est pusillanimis, ut hoc munus jam detrectet.

Respondeo: Id ex eo accidit, quod res ardua eminens ostensa, et diu post futura, quasi absens, mentem non feriat, nec percellat; eadem tamen cum præsens est, et executioni mandanda, tunc hominem percellit, ut trepidet et sudet: tunc enim longe vivacius apprehenditur rei moles, difficultates omnes et pericula, quam ante. Id in nobis nostrisque militibus belli inexperitis experimur: qui cum extra telum jactum sunt, leones videntur, quidquid ausuri; sed ubi cominus cum hoste pugnandum est, clangentibus tubis, et aciebus utrinque conclamantibus, tunc pallent, pavent et palpitant, et, ut ille ait, in pace leones, in prælio sunt cervi. Ita ergo Moyses, cum oraculum de futuro suo ducatu acciperet, non timuit; cum vero illum sibi imponi vidit, ejusque onera et difficultates cominus perspexit, tunc trepidare, omniaque effugare querere cepit, salva tamen amicitia et obedientia Dei: unde cum vult Deum absolute id velle, nec excusationes illas admittit, sed irasci, statim paruit, onusque acceptavit.

Tertia et vera peccasse venialiter.

Periculum prope magis periculi quam ferre.

14. AARON FRATER TUUS LEVITES. — Te Levites addit nomini Aaron, quasi cognomen ex tribu petiitum, more Judæorum: illi enim a sua tribu cognominabantur, uti Hollandi a parente, et alii passim a familia cognominantur. Porro Levites erat cognomen honorabile, ob sacerdotium additum tribui Levi, in quo primus et princeps futurus erat Aaron (1).

15. EGO ERO IN ORE TUO. — Ex Hebræo verti potest, ego ero cum ero tuo, q. d. Ego ero moderator oris tui, suggeram, moderabor et dirigam linguam et sermones tuos: « Domini enim est gubernare linguam, » ut ait Sapiens Prov. XVI, 1, idque cum Sanctis, assidue a Deo efflagitandum est, prosertim ei qui aliis præest; sic Esther capite XIV, 13, orat ad Deum: « Tribue, inquit, sermonem compositum in ore meo; » et Apostolus Ephes. VI, 29, cupit orari pro se, « ut detur, inquit, mihi sermo in apertione oris mei. »

Philo putat balbutium Mosi naturalem, hic a Deo fuisse curatam et sublatam, q. d. ei Deus: « Meo nutu articulate omnia edisseres, facundia mutata in melius, nec aliter cogitationes promente, quam manant fontes limpidi-simi. » Sed hoc non videtur verum; nam ob Moysi infanciam, et facundiam Aaronis, hunc Mosi socium addit, ut sequitur. Rursum cap. VI, 12, Moses diserte ait se adhuc esse incircumcisum labiis.

16. ERIT OS TUUM. — Aaron erit interpres tuus, q. d. Tu mandabis et ordinabis ea que agenda sunt, tanquam intellectus concipiens; Aaron vero eadem loquetur, tanquam os exequens, et eloquens.

Moraliter, discite hic quantum sit bonum socius et societas: eum enim omnis homo defectus habeat, alter alterius defectus supplet; quia in adiutorium mutuum homo generatus est: hinc tantopere celebratur a sapientibus Grecis factum illud ceci pedibus integris, qui sublatum in cololum ferebat truncum pedibus, bene oculatum; ex quo uterque utriusque auxilio fruebatur, alter pedum, alter oculorum socii commodum percipiens, quo carbat. Unde illud Ausonii epigram. 123:

Quo caret alteruter, sumit ab alteratro.

Sic Moyses ab Aaron eloquentiam, Aaron a Mose sapientiam accepit. Prudenter ergo Sapiens: « Frater, ait, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, » Prov. XVIII, 19; Eccl. IV, 10: « Melius est duo esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis sue. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: vae soli quia non habet sublevantem se. Et si quisquam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. » Hac de causa religiosi vadunt bini, et Christus binos misit discipulos evangelizare,

(1) Hebr. est, Nonne Aaron Levita est frater tuus? Navi, etc.

tum ut socium laborum, tum ut vite testem habeant. Hinc S. Thomas Aquinas dicere solbat: « Monachum solum esse demonem solitarium. » Nam, ut ait Seneca, epist. 25: « Omnia nobis mala solitudo persuadet. » Et epist. 41: « Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. » Justinianus imperator, Novel. const. 133, monachos clam testibus vivere, scelus ducit; vult ergo eos « invicem testes esse mutua honestatis » et castitatis; nam, ut ait Theodoros Studita in suo testamento, § 13: « Unius facilis est calumnia. » Ita Joseph ab heræ passus est calumnia stupri, quia solus erat; ita et Susanna calumnia senum subit, quia sola. Merito ergo S. Augustinus, in Regul. cap. XII, ita sancit: « Quando simul estis in ecclesia, et ubicumque femina sunt, invicem pudicitiam vestram custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodit vos ex vobis. » Audiant Religiosi soli sententiam D. Thomæ Cantiprat, lib. II, cap. XI, § 1, audiant et timeant: « Quam vera, inquit, sit hæc sententia: Vae soli ego novi, qui triginta annis vices Episcopi in diversis provinciis habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, que nunquam sustinuissem adjuncto socio, vel fecissem. »

Tantum eris ei in his que ad Deum pertinent, — tu eris ei internuntius Dei: hebraice est, tu eris ei אֶלְוִיִּם *elohim*, in Deum, pro Deo, vice Dei, ut scilicet ex te Dei, puta meam, voluntatem intelligat, ex te quasi me consulat et audiat; nam, ut ait Christus Apostolis: « Qui vos audit, me audit; » et Psaltes principibus et iudicibus: « Ego dixi, dii estis. » Chaldaicus vertit, tu eris ei in principem, sed hoc frigidum est et improprium. *Elohim* enim proprie Deum significat.

18. VADAM ET REVERTAR AD FRATRES MEOS IN AEGYPTUM, UT VIDEAM SI ADHUC VIVANT. — Visionem Dei celat sacerdos sumus Moyses, modestie studio, alianque veram et iustam abundi causam et obijcit, ut urbane ab eo discedendi veniam impetret.

20. IMPOSUIT EOS SUPER ASINUM. — R. Salomon dicit hunc eundem esse asinum, cum eo qui ligna Abrahæ tulit ad immolandum Isaac, Genes. XXII, 3. Eodem quoque asino vehendum esse Messiam, juxta prophetiam Zachar. cap. IX, vers. 9: Quia hebraice, inquit, hic asinus habet hæc demonstrativum, quasi illustris sit et celebris; et quia, nisi mirus et inusitatus fuisset, non potuisset ferre matrem cum filiis jam grandioribus, quis non videat et rideat hanc fabellam? et tamen huic R. Salomoni, quasi suo Pythagoræ, credunt per omnia Judæi, hasque fabellas pro certis habent traditionibus. Vide hic iustum Dei iudicium in Judæos. « Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, » inquit

vers. 18.

vers. 20. Asinus Rab. Salomon long. v. 1111.

S. Paulus, II Thessal. II, 10. Tales enim sunt hae rugae et fabellae, quibus scaturit R. Salomon, ut mirum sit Lyranum tantum illi et illis subinde tribuere. Ad argumentum ejus superius, respondi filios hos natos esse sub hoc tempore, ac proinde parvulos fuisse, non autem grandiores (1).

PORTANS VIRGAM DEI IN MANU SUA. — Virga haec fuit baculus Mosis pastoralis, quo pascebat et minabat oves in agro, quae versa fuit, et rursus coram Pharaone vertenda erat in colubrum: per quam Moses fecit omnia portentosa et plagas Aegypti: hinc vocatur « virga Dei. » Addunt, vel fingunt Hebraei, hanc virgam fuisse quadrilateram, atque in ea fuisse inscriptum nomen Dei tetragrammaton, sive quadrilaterum, ita ut singulis virgae lateribus una nominis littera esset incisae.

Artapanus apud Eusebium, lib. IX De Praepar. cap. ult., ait hanc Mosis virgam postmodum ab Aegyptiis in veneratione habitam esse, atque in ejus memoriam in templo Isidis baculum poni et coli. Isidem enim putant illi terram esse, quae baculo Mosis percussa tot prodigia produxit.

21. VIDE UT OMNIA OSTENTA QUAE POSUI IN MANU TUA (id est, in potestate tua; scilicet illa tria portentosa, quae hoc capite tibi assignavi, et alia quae deinceps tibi assignabo, vide et cura, ut ea omnia), FACIAS CORAM PHARAONE.

EGO INDURABO, — quomodo induret Deus, dicam cap. VII, vers. 3 (2).

22. FILIUS MEUS PRIMOGENITUS ISRAEL. — filius per adoptionem, non per naturalem generationem, q. d. Ego Deus Israelitas quasi Abrahae, Isaaci et Jacobi posterus, mihi in filios adoptavi, illos mihi in populum elegi, ut mihi serviant, me colant, ego vicissim eis sim pater, protector et provisor.

Nota: primogenitus, id est, dilectus praecel-

(1) Vers. 19. Dixerat praeterea Dominus Mosis, etc., alia vice quam tum cum ei in deserto ad Sinai montem apparuit.

(2) Clericus ad h. l. : « Cum apud omnes gentes, tum etiam apud Hebraeos, qui occasione praebent culpam rei, ejus causa esse dicuntur, quamvis id quod egerint per se eam rem efficere non potuerit. Vulgus, ex cujus oratione pendet linguarum usus, sepe occasionis majorem ratio, eam habet, quam causa ipsius efficientis. Sepe quod alius consecutus est effectus ejus quod antecessit, ita hunc habet, itaque de eo loquitur, ut non aliter de vero ac proprie dicto loqueretur. Quo factum est, ut qui loquentes in Scriptura inducuntur, eodem modo animi sensa effarent. Vid. Matth. x, 38; Luc. xii, 49, 51. Similiter Deus hic id se facturum dicit, cujus rei occasio erat. Misit Moses ad Pharaonem, Messaque coram eo miracula fecit, quibus quisvis alius permissus fuisset, ut illud, quod Deus fieri voluerat, faceret. Sed ille inde occasione cepit pertinaciam augendam, quod inter mala, quae passus est, intervalla quaestiones fuerant, et similia nonnulla miracula a magis Aegyptiis facta vidit. Sic Deus pertinaciam Pharaonis occasio fuit, non causa. » Origenes similiter in Philocalia cap. xxvii : « Tot signis et prodigiis factis non obtinuerat Pharaon, sed et post haec resistit, ut durities et incredulitas ex prodigiis oriri potuisset videatur. »

ris gentibus et electus, habitusque ut primogenitus; ad haec, primus inter populos Dei fide et cultu adunatus, in eaque fide genitus et nutritus : talis enim fuit populus Israel.

23. ECCE EGO INTERFICIAM FILIUM TUUM. — Ultra Vers. 21. Mam tantum ponit comminationem et plagam : quia eousque obduratum mansit cor Pharaonis; per illam autem emollitum fuit, ut dimitteret Hebraeos.

24. OCCURRIT EI DOMINUS, — angelus, humana forma gerens Dei personam. Unde Septuaginta vertunt, occurrit illi angelus velle ducta cap. III, vers. 2.

ET VOLEBAT OCCIDERE EUM, — vel praefocatione, ut vult Tertullianus; vel potius, ut Theodoretus et Diodorus, gladio evaginato mortem intentans, non puero, sive filio Mosis incircumciso (ut vult Tertullianus, lib. Contra Judaeos, cap. III, et S. Augustinus) : hic enim infans non peccarat, nec mortem erat meritus : culpa enim omisse circumcisionis non in ipso, sed in parentibus residebat. Mosis ergo mortem hanc intentat angelus; pronomen enim eum designat Mosem, de quo hactenus continuus fuit sermo.

Nugatur R. Salomon angelum hunc apparuisse specie draconis, et hianti ori Mosen absorbuisse usque ad membrum quod circumcidendum erat : id videns Sephora intellexit id Mosis accidisse, eo quod filium non circumcidisset; quocirca illa mox eum circumcidit, statimque draco Mosem revomuit.

Quaeres, cur angelus voluerit Mosen occidere? Respondet primo, S. Augustinus, sermone 86 De Tempore, et Eusebius uterque, scilicet Emissus et Caesariensis, eo quod secum duceret uxorem, quae Mosis, ejusque missioni impedimento erat futura : quaque, ait Eusebius, Hebraeis suspectam ejus missionem fecisset; dixissent enim Mosis : Si venis ut nos educaas ex Aegypto in Chanaan, cur non reliquisti uxorem et proles, utpote tot remoras, in Madian? Per Madian enim (puta per Sina montem, cui adhaeret Madian), nobis eundem est in Chanaan. Sed recte Mosen hic excusat Theodoretus, quod non potuerit relinquere uxorem in Madian, sine gravi soceri sui offensione, et suspitione quod eam vellet repudiare. Verum aliam causam mortis intentatae Mosis suggerit Scriptura.

Secundo, Theodoretus et Diodorus putant Angelum comminationem esse mortem Mosis, ut hoc timore ex animo ejus metum Pharaonis, quasi clavis clavum pelleret, q. d. Tu, o Moses, nimis formidas Pharaonem; etenim me timere magis deberes, quippe qui, ut vides, possum te subito nullo negotio occidere.

Verum dico Angelum voluisse occidere Mosen, eo quod non circumcidisset filium, ut jussisset Deus, Genes. xvii, 12. Ipse enim futurus erat legislator populi; debebat ergo ipse primus legem servare : hanc enim causam intelligens uxor Mo-

sis, statim filium circumcidit, moxque angelus, quasi sibi jam satisfactum esset, Mosen dimisit. Ita Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Cajetanus.

Quaeres secundo, cur Moses vir sanctus secundum legem filium suum non circumcidit? Respondent Rupertus et Chaldaeus, eo quod Jethro socer et Sephora uxor, utpote Gentiles et Madianitae, non permitterent puerum eo dolore et vulnere affici. Verum obstat quod seniore filium jam circumcidere: unum enim, puta minorem, tantum circumcidit Sephora, quia nimirum senior jam erat circumciscus; alioqui enim et hunc circumcisci coegisset angelus. Rursus obstat quod Sephora statim ex se, et per se circumcidens infantem, satis indicavit se istius ritus esse peritam, illumque peregrine in seniore filio circumcidendo.

Hinc verius censent Hebraei, Lyranus, Abulensis et Pererius, quod minor hic filius, Eliezer scilicet, recens jam esset natus, cui proinde vel Moses, vel potius mater graviora damna itineris metueret, si eum circumcideret : distulit ergo rem Mose, donec veniret in Aegyptum; hac enim eadem de causa Hebraei peregrinantes in deserto, per 40 annos non sunt circumcisi, ut patet Josue cap. v. Verum angelus mortem minitans Mosis, hunc nimirum timorem illi excussit, idque ne Moses legislator futurus, remissior in lege servanda fuisse videretur. Moses enim quasi dux, ceteris perfecto in lege implenda exemplo praere debebat. Vidit ergo Sephora angelum minitantem mortem Mosis marito, propter puerum incircumciscum, eumque forte digito ostendentem.

Intellexit ergo Sephora Mosen esse in vita periculo, ob neglectam filii circumcisionem, partim ex eo quod angelus phantasmam ejus regens hanc speciem et causam ei objiceret et suggereret; partim ex eo quod angelus vel vultu, vel digito puerum incircumciscum notaret; partim ex eo quod Moses eam docerat praecceptum circumcisionis a Deo latum sub interminatione mortis. Addit quarto, Cajetanus, intercessisse sermonem angeli de incircumciscio filio, licet eum hic non exprimit Scriptura.

25. TULIT ILLICO SEPHORA ACCTISSIMAM PETRAM. — Non quod cultro petriano necessario fieri deberet circumciscio, ut sensit S. Augustinus, sed quia consernata et festinanti matri talis cultus primus occurrit; praesertim quia haec circa Arabiam Petraam, ubi est Sina et Madian, contigerunt, in qua major petraarum quam ferri est copia et usus : unde petras ibi exacuunt instar ferri, ex eisque cultros efficiunt acutissimos : nam alioqui, Genes. xvii, ubi lex de circumcisione fertur, nulla petrae fit mentio : qua de re plura dicam Josue v. Interim vide D. Thomam, III part., Quaest. LXX, art. 3, ad 2.

ET CIRCUMCIDIT PRAEPUTIUM FILII SUI, — id est filiorum suorum, ait Cajetanus; putat enim utrum-

que Mosis filium hic a Sephora circumciscum esse. Secundo, Hugo de S. Victore putat unum filium hic tantum esse circumciscum : quia mater, inquit, utpote Gentilis, unum sibi filium, quasi proprium et incircumciscum retinuerat, alterum vero Mosis circumciscum reliquerat; vel unum tantum filium ducebat secum Moses, alterum vero apud socerum, quasi obidem amoris et benevolentiae suae, reliquerat. Sed haec obstat S. Scriptura, quae expresse, vers. 20, ait Mosen revertentem duxisse secum filios suos; hic vero, vers. 23, ait filium, puta alterum tantum e duobus, esse circumciscum.

Hinc ergo apparet solum Eliezer, utpote recens natus, esse circumciscum; seniore vero Gersam jam ante fuisse circumciscum, uti dixi.

Teriturque Sephora, ut patet ex Hebraeo, quasi deprecabunda pro vita mariti Mosis) PEDES TUIS. — Septuaginta vertunt, prociat ad pedes ejus, scilicet angeli invadentis Mosen, inquit Cajetanus, ut supplicii prece eum placaret. Secundo, Chaldaeus vertit, prociat praepulium filii ad pedes angeli, q. d. Si propter incircumciscum puerum irasceris Mosis, in tibi pueri praepulium circumciscum; quare placatus desine persequi virum meum. Tertio, alii, « pedes ejus, » id est pueri, inquit, q. d. Pueri pedes mater, vel sanguine fuso, vel ipso praepulio projecto, tetigit vel tinxit.

Verum dico : Sephora a tetigit pedes ejus, » scilicet Mosis; huic enim dixit id quod sequitur : « Sponsus sanguinum tu mihi es. » Tetigit ergo ipsa mariti pedes, eosque aspersit sanguine et praepulio filii coram angelo, ut hoc quasi pretio eum a morte servaret et redimeret, dicens : « Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumciscionem, » quasi dicat : Ego te, o marite, certe morti destinatum ab angelo, rursus sanguine filii mei, quem circumciscendo eum effudi, mihi sponsum coemo.

Male ergo Rupertus sic explicat : tetigit pedes ejus, id est impertine supplicavit Mosis, ut se domum ad patrem redire permitteret; exterrita enim erat visione angeli. Unde sequitur : « Et dimisit eum. » Verum sic dicendum fuisset : Et dimisit eam, puta Moses Sephoram.

Nota : Tangere pedes inter Judaeos tum amoris, tum reverentiae et adorationis erat signum, praesertim mulierum erga viros. Sic Sunamitis orans Elisaeum pro filio jam mortuo, pedes ejus tangit, IV Reg. iv, 27. Sic Magdalena, aliaque plures mulieres post resurrectionem tenuerunt Christi pedes, Matth. cap. ult., vers. 9. Sic (ut ex antiquis Conciliis liquet) moris fuit in Ecclesia veteri, ut qui Episcopos salutarent, eorum genua manu tangerent. Hic etiam fuit Gentilium mos; unde illud apud Homerum, Iliad. a., vers. 499 :

Καὶ τὰ πόδια αὐτοῦ καθέλετο, καὶ λάβε ἡρόνο.

Sic Sidonius Apollinaris, lib. I, epist. 8 : « Apollitorum, ait, luminibus affusus; et carmine 7 :

Sicut Eliezer hic fuit circumciscus.

Tangere genua praesens fuit symbolum adorationis.

Secunda et vera, quia ju-nior erat et tenebatur ad iter.

Fabell. II. Sicut mon.

Unde Sephora hanc causam intellexit.

Car pe-trino cul-tro cir-cumcidit Sephora filium?

Tertio et vero, ut quod et in eo non circumciscus.

« Genibus primum est affusa Tonantis. » Sic a Plinio, lib. IX, *epist.* 21, « advolutus genibus » dicitur. Qui vero delicti veniam precabantur, supplices pedibus advolvebantur. Unde Petrus Chrysologus, *serm.* 43 : « Ad pedes, ait, tendat, citam veniam qui requirit. » Salvianus Massiliensis, *epist. ad Hypatium et Quietam* : « Advolvor vestris, o parentes charissimis, genibus : illa ego vestra Palladia. » Illique supplices parentum pedibus affusi pedes osculabantur, ut idem Salvianus. Causam cuius ritus naturalem dat Plinius, lib. XI, cap. xlv : « Hominis, inquit, genibus quaedam religio inest, observatione gentium : hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant ; forte quia eis inest vitalitas. Antiquis Græcis in supplicando mantum attingere mos erat. »

Genibus inest vitalitas.

Secundo, sunt symbolum misericordie.

Secunda causa est, quia genua misericordie dicata sunt. Servius in illud *Eneid.* III :

Dixerat et genua amplexus, genibusque volutas, hæcebat;

« Physiis, ait, dicunt esse consecratas numinibus singulas corporis partes, ut aures Memoria, frontem Genio, dexteram Fidei, genua Misericordie. » Et Pierius, *hierogl.* 33 : « Genu, ait, misericordie sedem esse, antiqua omnis superstitione confitetur, ut memorie auri, irrisionis nasus habetur. » Facientes ergo vota tenebant genua, ut de illorum misericordia, ejus illa sunt sedes, sibi que poscerent, polliceri significarent. De diis Genium ait Arnobius, lib. VI : « Ita enim non ridetis hæc signa, quorum plantas et genua contingitis, et contrectatis orantes? » Inde mox signandi vota, et incerandi deorum genua. Votum enim quisque sum ceratis inscriptum tabulis, deorum genibus affigebat. Juvencialis, *satyr.* 10 :

Genia incerant.

Propter que fas est genua incerare deorum.

Tertio, potestate.

Tertia causa est, quod in genibus posita sit motus et progressionis virtus, quodque ipsa, roboris et vigoris integri symbolum sint. Nam uti flectere sedem esse, antiqua omnis superstitione confitetur, ut memorie auri, irrisionis nasus habetur. » Facientes ergo vota tenebant genua, ut de illorum misericordia, ejus illa sunt sedes, sibi que poscerent, polliceri significarent. De diis Genium ait Arnobius, lib. VI : « Ita enim non ridetis hæc signa, quorum plantas et genua contingitis, et contrectatis orantes? » Inde mox signandi vota, et incerandi deorum genua. Votum enim quisque sum ceratis inscriptum tabulis, deorum genibus affigebat. Juvencialis, *satyr.* 10 :

Quarto, via.

Quarta causam dat Goropius, lib. V *Origini Antwerp.* : Olim, inquit, supplices ad genua provolvebantur, ut femur oscularentur, quasi vitam sibi inde quaerere significarent, unde accepissent : semen enim, et consequenter proles et posteritas, e lumbis et femore ortum habent. Sic ergo Sephora tangendo pedes mariti, amorem et reverentiam illi, ac consequenter angelo, quem hæc ratione placare, et marito conciliare volebat, exhibuit, ejusque misericordiam et potentiam imploravit,

ut vitam marito impetraret; pro angeli enim pedibus (quos tangere non audebat) mariti pedes amplexa est.

SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES. — Mirum est Septuaginta verterint, *stetit sanguis filii mei*. Clare Chaldaeus vertit, *obtulit*, Sephora, *proprium coram eo*, angelo, et ait : « Propter sanguinem circumcisionis hujus (scilicet neglectum et non effusum) condemnatus erat ad mortem sponsus meus. »

R. Abraham hæc verba refert ad puerum circumcisum, quasi etiam circumciso applaudens mater dixerit : Tu es mihi sponsus sanguinum; tradunt enim Hebræi, moris fuisse Hebræis matribus, ut filios, cum erant circumcisi, vocarent sponsos suos.

Secundo, Rabanus putat Sephoram hæc dixisse ex ira, q. d. Tu, o marite, causa es cur fundere debuerim sanguinem filii mei; unde merito indignor, et te voco sponsum sanguinum.

Tertio, alii sic explicant, quasi dicat : Video te mihi fore sponsum laboriosum et sanguinarium, multoque majora mihi tecum perpetenda esse in Egypto : dimitte ergo me, ut redeam domum ad parentes; unde putant Sephoram hoc loco cum filiis domum rediisse.

Quarto et optime, quasi diceret : Nisi ego sanguinem filii mei in circumcisione effudissem, tu ab angelo interfecitore perissem; te igitur ego mihi denuo sponsum acquisivi et coemi, non dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filii mei, ut versu seq. plenius explicabo.

Nota : Nuptie tam apud Hebræos quam Romanos, fiebant coemptione : maritus enim pecunia data tum uxori, tum parentibus ejus, ab eis illam sibi uxorem coemebat; vicissim subinde uxor maritum sibi dato pretio coemebat. Sic David tantum præputiis Philistinorum emit a Saule filiam ejus Michol sibi in uxorem, II *Regum* III, 14. Sic Osee fornicariam sibi in uxorem emit quindecim argenteis, *Osee* III, 2. Sic olim Saxones et Burgundiones trecentis solidis sibi uxores a parentibus coemebant. Hinc et illud Poeta :

Teque sibi generum Theis emat omnibus undis. Rex tibi conjugium, et questus sanguine dotes Abneget.

Vide Riberam in *Osee* III, vers. 2.

26. ET DIMISIT EUM. — Puta Sephoram Mosen reliquit reditum in patriam, ait Lyranus. Verum obstat Hebræum *וַיִּרְשָׁף*, quod non significat remittere in alium locum, sed quiescere, cessare, dimittere in pace, non vexare alium.

Tertio, alii, « dimisit eum, » scilicet Mosen moribus, quo eum percusserat angelus.

Quarto et genuine, « dimisit eum, » scilicet angelus Mosen, nec amplius ei mortem intendit, cum vidit filium ejus jam esse circumcisum; unde Septuaginta verunt, et *abijt angelus ab eo*. Ita S. Augustinus.

SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES, OB CIRCUMCISIO-

Sponsus sanguinum, quibus, quibus, quibus a variis accipitur.

Sponsus olim sponsus dato pretio coemebant.

Vers. 26.

NEM. — Alliqui sic explicant : Tu, o marite, vel sponse, reus eras sanguinis et mortis, erasque occidendus ob omissam filii circumcisionem. Verum dico : sensus est, ob circumcisionem, id est, ob sanguinem filii mei, quem in ejus circumcisione effudi; tu, o Moses, es mihi sponsus sanguinum : quia hoc sanguine, te morti addictum a morte redemi, q. d. Ante circumcisum filium, tu eras mihi sponsus sanguinum, cædis et interfectionis, inquit R. David Kimchi, quia eras occidendus, sanguisque tuus effundendus erat ab angelo : jam vero circumciso filio es mihi sponsus sanguinis circumcisionis, quia, sanguine circumcisionis filii mei, tuam vitam teque mihi sponsum coemi.

Mose aut Sephora sponsus sanguinum dicitur.

Symbolice circumcisio que?

Symbolice, Moses junctus alienigenæ, est Doctor Christianus deditus humanæ philosophiæ. Hæc signat proles, id est dogmata vera, sed vanis et falsis commixta; que nisi circumcidantur, mortem afferunt homini Christiano, v. g. dogmata Philosophorum sunt, Deum esse primum motorem, sed non esse omnipotentem; non posse aliquid facere ex nihilo, sed tantum ex materia sibi coæterna; non agere libere, sed fato et ex necessitate natura. Hæc omnia circumcidenda sunt per cultum petrinum, id est per fidem Christi.

Rursus discite hic, non esse satis patrifamilias si ipse sit religiosus et sanctus, sed debere curare, ut et filii et familia tota talis sit. Audi quam recte et pie familiam suam instituerit S. Elzearius, comes Ariani, ex Vita ejus, cap. xvii : « Primo enim constituit, ut omnes e domo sua quotidie Missam integre audirent. Secundo, ut viverent caste et pure : qui secus facerent, eos domo sua expellebat. Nolebat enim, ut quisquam pane suo vesceretur, quem seiret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, et ne ejus peccatum fovere videretur. Tertio, ut nobiles et milites, itemque virgines et matronæ semel in hebdomada confiterentur, et semel in mense communicarent. Quarto, ut eædem virgines et matronæ mane usque ad prandium precibus et piis exercitiis vacarent : a prandio manuariis operibus sese occuparent. Quinto, ut nemo auderet blasphemare Deum, B. Virginem, aut aliquem Sanctorum, vel jurare temere, vel inhonesta proferre; corrumpunt enim bonos mores colloquia prava : eum qui secus fecisset, in pane et aqua jejunare cogebat. Sexto, ut nemo luderet tessaris aut alio lusu turpi et inhonesto. Septimo, ut omnes pacem, amicitiam et concordiam colerent : si quis alium offenderet, mox cum offenso rediret in gratiam. Octavo, ut quotidie a prandio aut vespere inter illos, ipso presente, fieret collatio et colloquio de rebus piis et salutiferis. » Lege et Tobiam, cap. iv, ubi ipse filium instruit ad omnem virtutem. Hoc quoque sæculo B. Thomas Morus, Angliæ Cancellarius et martyr, ita proles et familiam suam tam in literis, quam in virtute et pietate Christiana instituit, ut de ea scribat Erasmus : « Domus Mori schola

Mira S. Elzearii institutio familiaris.

est et gymnasium Christianæ religionis. » Testis est D. Stapletonius in *Vita Mori*.

Allegorice, hoc dicat Christo versus Christianum, Allezorice, præsertim Religiosus : « Sponsus sanguinum tu mihi es, o Christe, » tum quia tuo sanguine animam meam tibi coemisti et desponsasti. Unde S. Agnes dicebat tyranno : « Sanguis Christi sponsi mei tinxit genas meas; » tum quia a me vicissim, ut sim sponsa te digna, exigi sanguinem meum, imo carnem et vitam meam, dum doces iis qui te sequi, tibi que placere volunt, circumcidendas et mortificandas esse concupiscentias carnis et sanguinis, dum ais : Nemo potest meus esse discipulus, nisi qui abnegat semetipsum, et tollit crucem suam, nisi qui odit et jedit animam suam in hoc mundo, nisi qui carnem suam crucifigit cum vitis et concupiscentiis, nisi qui diabolo, carni et mundo resistit usque ad sanguinem, usque ad mortem et martyrium : atque hæc est « circumcisio cordis in spiritu, non littera, » non Judaica, sed Christiana, non exterior, sed interior, « ejus laus non ex hominibus, sed ex Deo est, » Rom. II, 29. Martyri ergo Christus est sponsus sanguinum. Unde S. Cyprianus *De Laude martyrii* : « Sanguini, inquit, nostro patet cælum, ingreditur miles vulneribus suis gaudens. » Idem lib. II, *epist.* 4 : « Vos, ait, de vinea Domini racemi pingues, et jam maturi fructibus botri, pressura sæcularis infestatione calcati, torcular nostrum sentitis : vini vice sanguinem funditis; ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. »

Denique non sufficit Mose unum circumcidere filium seniore, nisi et secundum circumcidere : ita Prælator, et civis Christiano non sufficit circumcidere intellectum ab errore, nisi et affectum circumcidat a cupiditate. Ita Pererius.

27. IN MONTEN DEI, — in montem Sina. Videtur Moses, cum comitatus jam fratre suo Aaron, plane se accingeret ad suam legationem tam arduam obeundam, remisisse in Madian uxorem cum filiis, ut liberior esset et expeditior : nam Sephoram a Mose recessisse ad suos, patet ex eo, quod illa postmodum ad Mosen ex Egypto cum Hebræis egressum, in Sina redierit, ut dicitur cap. xviii, 2.

30. LOCUTUSQUE EST AARON. — Ecco Aaron hic est os et interpres Mosis, ut prædixerat Deus vers. 16.

ET FECIT SIGNA CORAM POPULO. — « Fecit, » non Aaron, sed Moses qui immediata præcessit : ita enim partita erant a Deo munia Mosis et Aaronis, ut Moses suo imperio mandaret et faceret signa, Aaron mandata Mosis et Dei eloqueretur, tanquam dux verbi.

SIGNA, — tria illa, de quibus initio capituli.

31. VISITASSET, — respexisset ad eos liberandum et educendum ex Egypto; hoc enim postorius verbum explicatio est prioris (1).

(1) Adoraverunt, Mosem scil. venerati sunt, quasi Dei prophetam.

Allezorice, sponsus sanguinum dicitur est Christus, cur?

Moses liberatus suos remittit uxorem in Madian. Vers. 28.

Vers. 31.

## CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

**Moses cum fratre legationem Dei apud Pharaonem obit: contemnit ille, graviusque Hebraeos premit: qui hac de causa cum Mose expostulant; Moses denique ad Deum recurrit.**

1. Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. 2. At ille respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. 3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam triam dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius. 4. Ait ad eos rex Ægypti: Quare Moses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. 5. Dixitque Pharao: Multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? 6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens: 7. Nequaquam ultra dabitur paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant, et colligant stipulas. 8. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuētis quidquam: vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes: Eamus et sacrificemus Deo nostro. 9. Opprimantur operibus, et expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus. 10. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas: 11. ite, et colligite sic ubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. 12. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. 13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ. 14. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? 15. Veneruntque præpositi filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra servos tuos? 16. Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. 17. Qui ait: Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus, et sacrificemus Domino. 18. Ite ergo, et operamini, paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. 19. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. 20. Occurruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone: 21. et dixerunt ad eos: Videat Dominus et judicet, quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuitis ei gladium, ut occideret nos. 22. Reversusque est Moyses ad Dominum, et ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? 23. Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, et non liberasti eos.

**VERS. 1.** 1. POST HÆC INGRESSI SUNT MOYSES ET AARON, — cum senioribus populi, inquit Lyranus: ita enim præcepit Dominus cap. III, vers. 18. Mellius censet Tostatus et Pererius, solum Moysen cum Aarone hanc legationem obiisse: illi enim soli nominantur hic et vers. 4. Pro senioribus enim, quos initio Mosi timido addidit Deus, substituit postea

Aaronem, qui Mosi comes esset, et dux verbi, ut patet cap. IV, vers. 14.

Nota hic alium genitum et spiritum fuisse Moysen quam sit Calvinus, qui obtentu religionis reformate populum ad arma et rebellionem contra suos principes concitando, suum evangelium propagat: Moses enim nil tale facit, sed jussa Dei

regem ipsum adit, monet et obsecrat, ut Deo jubenti pareat, populumque dimittat.

Ubi nota *secundo*, insignem fortisque Moysi, tum obedientiam erga Deum, tum charitatem erga populum: juste enim metuere poterat, ne a tyranno exploderetur, et tamen eum adit, Dei jussa pandit, populique missionem petit.

**UT SACRIFICET.** — Hebraice וַיִּשְׁחַחֻּוּ *vejachoggu*, id est ut festum celebret, puta solemniter sacrificando: sacrificiis enim solemnibus vel maxime festa celebramus.

**VERS. 2.** 2. **QUIS EST DOMINUS?** — Superbam diaboli contumaciam exprimit Pharao, inquit Rabanus; cæca enim superbia ita mentem ejus excecavit, ut diceret insipiens: Non est Deus, non est me potentius, presertim alienæ precario huc admisæ, et abjectæ Hebrææ gentis numen, quod me cogat Hebræos dimittere, ut illi obsequi debeam.

**NESCIO DOMINUM.** — nescio Deum vestrum, o Moses et Hebræi. Rursum nescio Deum quemlibet, qui mihi tanta auctoritate imperet, ut Hebræos dimittam. Fuit ergo Pharao hic superbissimus, ideoque atheus. Ita Pererius. Licet enim Deum esse per se notum sit, si rem in se spectemus, non tamen nobis id per se notum est, sed ex effectis id nobis demonstrari debet: alioquin enim non tam multi essent pagani et athei. Ita D. Thomas, I part., *Quæst.* II, art. 9.

**VERS. 3.** 3. **DEUS HEBRÆORUM VOCAVIT NOS (1).** — Addit Artapanus apud Eusebium, lib. IX *De Prepar.* cap. ult., quatuor miracula Mosi aduenti Pharaonem conficisse. *Primo*, ignem e terra erupisse cum voce quæ diceret, brevi ab ipso liberandos esse Hebræos, et in patriam antiquam reducendos. *Secundo*, Moysen a Pharaone carceri inclusum fuisse, sed inde nocte, custodibus mortuis, janisque contractis exivisse ad ipsum regem. *Tertio*, ipsum regem, pronuntiato in aurem ejus nomine tetragrammato a Mose, mutum factum esse, sed mox a Mose sanatum esse. *Quarto*, sacerdotes Pharaonis omnes ad idem nomen spasmo expirasse. Sed hæc Iudeorum commenta esse videntur.

**NE FORTE ACCIDAT NOBIS PESTIS AUT GLADIUS.** — Hebr. *ne forte incurrat in nos* (Deus) *peste aut gladio*, si videlicet ei non pareamus, ut eamus Ægypto, et in deserto ei sacrificemus. Unde patet explanationem B. Cyrilli lib. I *De Adorat. in spir. et ver. fol. 21*, non esse genuinam; sic enim explicat, *q. d.* Moysi: Sacrificandum est nobis in deserto, non autem in uribus aut agris, ne forte ibi occurrat nobis cadaver peste gladiove occisum, quod apud vos aliosque idololatrias, in sacrificando tanquam impurum cavere solet. Hebraice enim non est, ne forte occurrat nobis pestis, sed, incurrat in nos peste, id est, ne peste nos feriat Deus.

**VERS. 4.** 4. **SOLLICITATIS.** — Hebraice, *cessare fecistis.*

**VERS. 5.** 5. **DIXITQUE PHARAO,** — ad suos præfectos operum,

(1) Vid. not. supra. ad III, 18.

**VIDETIS QUOD TURBA SUCCREVERIT.** — Hinc patet infanticidii legem, uti infamem et execrabilem, jampridem fuisse abrogatam. Ita Cajetanus.

7. **NEQUAQUAM ULTRA DABITIS PALEAS POPULO AD CONFICIENDOS LATERES.** — Paleæ adhibentur ad lateres, non ut ignem accendant quo lateres coquantur, uti explicat S. Bernardus mox citandus: sed concisæ luto immisceantur, ut lutum contingant, sibi que astringant et uniant, *paque* lateres tenaciores et firmiores sint, ait Lyranus; ideo enim misceantur paleæ argillæ, qua incrustantur parietes argillacei, et forte Ægyptia terra minus coheret, minusque coagula est quam sit nostra, ut proinde paleis jungi et consolidari debeat in lateres.

Symbolice S. Bernardus, *sermone* 34, inter pavos: «Sub jugo, inquit, Pharaonis fiunt opera lutea, id est dissoluta et sordida; ab ipso dantur paleæ, id est leves cogitationes. Palearum est leviter accendi, et in momento consumi: sic et malæ cogitationes a diabolo immissæ, cito in mentibus nostris accendantur, carnis mollitie consentiente; sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante profinus extinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, et solidabatur in lateres: similiter prave cogitationes, quæ sunt quasi lutum (ut docet S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* IX), paleis delectationis accendantur: quæ cum transiunt in actum, tunc decoquantur; cum vero ducuntur in consuetudinem, tunc tanquam in lateres solidantur.»

8. **ET MENSURAM LATERUM, QUAM PRIUS FACIEBANT, IMPONETIS SUPER EOS.** — *q. d.* Cogitis eos persolvere quotidie solum demensum laterum et pensum, sive quoad numerum, sive quoad struem et molem; unde Septuaginta vertunt, *ἀντὶ τοῦ ἔργου τῆς ἡμέρας*, ut constructionem, sive struem laterificii solitam reddatis.

VACANT ENIM, — pigri sunt et remissi, otio torpent. Ita Hebræa.

9. **UT NON ACQUIESCANT VERBIS MENDACIBUS.** — *VERS. 9.* Ecce non audit Pharao Moysen, nec credit eum a Deo esse missum, sed vel hoc mentiri, vel hoc somniasse, uti prædixerat Dominus cap. III, 19 (2).

10. **NON DO,** — non dabo vobis paleas: est enalage temporis. En subtilem hic Pharaonis tyrannidem, qua Hebræos gravat, et pene ad restum ac desperationem adigit, ut de exitu, deque Deo eos evocante cogitare non libeat. Sed vehementissima ingruente tentatione, proxima erit salus; ita facere solet Deus. Unde mystice notat Procopius, Pharaonem, id est diabolum, peccatoribus, qui se Deo dare student, negando paleas committatum, difficilem præbere militiam, ne ejus satietas fastidium pariat suo cultori: nam nitimur in vetulum semper, cupimusque negata.

(2) Pro acquiescant hebr. est *הִתְנַחֵם*, quæ vox, cum *ו* rei construitur, videtur notare *oculos in rem intendere*, ad eam attendere.

Symbolice in tam, lateres et paleas quid?

12. DISPERSUSQUE EST POPULUS. — Pars enim miscebat terram formabatque lateres, pars eos disponebat, pars corquebat, pars colligebat paleas; pensum enim laterum non a singulis viris (hoc enim longissima fuisset opera, et ad hoc opus fuisset magna prefectorum turba), sed in communi et generaliter a prefectis Hebraeis exigebatur; quorum erat suorum urgere ad opus et pensum prestandum, quique, si quid penso deerat, luebant apud prefectos Egyptios (4).

16. INJUSTE AGITUR. — Ne regem offendant, ejus injuriam aliorum, puta prefectorum, culpam et crudelitati tribuunt: unde non aiunt: Injuste agis, sed, agitur; hebraice est, peccatur in populum tuum (2).

17. VACATIS OTIO. — Hebraice, otiosi vos otiosi, vel pigri pigri, id est pigerrimi estis. « Otium, inquit ille, corpus, mentem necat socordia: exercitatio utrumque pulcherrimum facit. » S. Chrysostomus, hom. 43 in Genesim: « Grave, inquit, malum est otium, facile ut facilia omnia videantur difficilia; sicut studio et vigilantia etiam ardua et difficilia, facilia nobis sunt. » Et hom. 34 in Acta: « Cura, inquit, ac sollicitudines gymnasticæ et schola sunt philosophiæ, etc. Ferrum si jaceat, corrumpitur; si exercetur, splendet: similiter se habet anima que movetur et laborat. » S. Bernardus, De Consid. lib. II: « Cavendum est, inquit, otium in otio; fugienda otiositas mater nugurium, nociva virtutum. » S. Ambrosius, serm. 41 in Psal. cxviii: « Tentant, inquit, otia, quos bella non frangerant; periculosa igitur et pacis otia. » Idem de seipso dicebat epist. 41 ad Sabinam: « Nunquam minus solus sum quam cum solus esse videor; nec minus otiosus quam cum otiosus. » Vide S. Augustinum, lib. De Opere monachorum. Solitudinis tædio affectus S. Antonius exclamabat: Servari cupio, Domine, et cogitationes meæ mihi adversantur. Mox ubi de cella prodit, conspexit hominem (erat is angelus), monachali habitu succinctum, nunc calathos textentem, nunc ad orandum procumbentem, qui ad eum dixit: Sic et tu age, Antoni, et tentationes vines. Quare otium aversabatur S. Antonius, et qui præclare vitam esset acturus, tum ad laborandum hortatus est, tum ad secum considerandum sedulo, quid noctu, quid interdum egerit, inquit Sozomenes, lib. I Histor. cap. xiii. Idem censuit Theodosius monachus apud Theodoretum in Histor. SS. Patrum, cap. x. Quin et Alexander Magnus dixit: « Regium est laborare, servile est otio et luxui vacare. » Denique prisorum monachorum hæc erat sententia: « Operans uno demone, otiosi multis pulsantur. » Testis est Cassianus, cap. xiii, lib. X Institut.

(4) Ad colligendas stipulas (minutas) pro palea. (5) Id est, iniuste agitur in Hebræos, populum tuum. Alii censent, populo Pharaonis Egyptios esse intelligendos, hoc sensu: Peccati se reum facit populus tuus; vel: Hæc crudelitas male cedet populo tuo, qui dabit penas hujus tyrannidis.

19. VIDEANT SE IN MALO, — in malis, in angustiis. Hic expressus est typus vocationum et illustrationum Dei, quas statim committitur tentatio, sed fortiter persistentibus liberatio est proxima. Præmo ergo, a Deo ex Ægypto per Mozen evocatur Hebræi; secundo, vocationi credunt, et statim crudelissime flagellantur; tertio, paulo post admirandis portentis liberat et educit eos Deus. Refert Aeneas Silvius in Histor. Bohem. Capnionis hoc fuisse dictum: « Quando duplicabatur lateres, tunc venit liberator Moses, » quo significabat, Dei auxilium præsto esse, cum res adversæ ingruunt. Eadem Ecclesie totius Christianæ fuit ratio et progressio; eadem est et vocationis ejusque, ut qui in secundo versatur gradu, de vocatione sua non dubitet, sed sciat potius se recte ordine a Deo statuto progredi, tertiumque certissimo expectet. Ita S. Gregorius, XXIX Moral. cap. xiv. « Cum lux, inquit, divina cor humanum illustrat, mox a diabolo consurgunt tentamenta, ut plus tentationibus se urgeri sentiant, quam dum lucis interne radios non videbant. » Et Origines hic homil. 3: « Nisi buccinet, inquit, tuba veri Dei, non committitur bellum; ubi vero signum belli tuba prædicationis insonuit, ibi omnis tribulationum pugna consurgit. Hinc quotidianis discimus experimentis, ait S. Bernardus, eos qui converti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis; et urgeri gravius in operibus luti, qui Pharaonis imperium effugere moluntur. » Ita ipse De Conversione ad clerice. cap. xviii.

Cassianus quoque, Collat. XXI, cap. xxviii, tradit in diebus quadragesimæ, quibus solent homines ad meliora, et monachi ad perfectiora converti, tunc solito acrius et molestius infestari a demonibus monachos, et incitari ad egrediendum e monasteriis, descendendamque solitudinem.

Nota secundo: Vult Deus in beneficiis ab ipso promissis, paratos nos esse ad tentationes: ideoque cum magnam cuiuspiam spem dat, mox eum tentat per illa quæ videntur afferre desperationem, et videtur spem quam dedit demoliri velle, aut dubiam et incertam facere. Ita Deus Abraham per Isaac promisit prolem numerosissimam, et mox jussit ipsum Isaac sibi immolari. Ita jussit Hebræos pugnare cum Benjaminitis, et mox permisit eos ab illis secundo credi, Judæ. cap. xx. Sic Moysi hic et Hebræis promisit liberationem a Pharaone, et mox permisit eos ab eodem gravibus affligi.

20. OCCURRERUNTQUE MOYSI ET AARON, QUI STABANT EX ADVERSO, EGREDIENTES A PHARAONE. — Tæ egredientes, non ad Mozen et Aaronem, sed ad occurrerunt referendum est, et ad prefectos Hebræorum, quos Pharaonem ademptes et ab eo revertentes, certo loco expectabat Mozes, avidus scire quid responsi tulissent. Hoc et noster Interpres satis insinuat, cum ait Mozen et Aaronem stetitisse: egredientes enim stare in rigore est im-

Ver. 18. Typus est vocationum Dei.

Qui occurrunt vocationi tentantur. Ubi?

Mores habent odorem in fama observari in conscientia.

Gladus in Scriptura est omne quod cruciat.

In Quo dragesima monachi gravibus tentantur. Cur?

Deus cum dat spem, mox tentat per desperationem.

Ver. 20.

possibile. Sensus ergo est, prefecti Hebræorum post suam querelam egredientes a Pharaone, occurrerunt Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, ut totam rem spectarent et cognoscerent.

21. VIDEAT DOMINUS ET JUDICET. — Hebraice additur: Super vos, id est, vindictam sumat de vobis. Ita Chaldaeus. Hebræi enim sæpe per metonymiam, iudicium sumunt pro termino et fine iudicii, ut iudicare ideam sit quod vindicare, et iudicium ideam sit quod vindicta. En infirmam ingrati tamque populi fidem: Mozen et Aaronem, quos paulo ante liberatores crederat, jam homicidas calumniatur.

FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM CORAM PHARAONE, — invidios et abominabiles nos fecistis Pharaoni: est metaphora. Eadem phrasid est Genesis xxxiv, 30, in Hebræo; II Cor. II, 15: « Christi, inquit, bonus odor sumus, » quia videlicet bonam Christi et christianismi famam spargimus, ut homines bene de nobis deque Christo sentiant et loquantur. « Habent enim mores suos colores, habent et odores; colorem in conscientia, odorem in fama, » inquit S. Bernardus, serm. 71 in Cantica.

ET PRÆBUISTIS MI GLADIUM UT OCCIDERET NOS. — Occasionem et dedistis, ut nos oneribus opprimeret, cum eum furentem in nos concitastis. Ubi nota: Gladius in Scriptura vocatur omne quod pungit, percussit, torquet aut cruciat, inquit S. Hieronymus in Isaia LXVI. Hinc Amos ix, 10, dicitur: « In gladio moriuntur omnes peccatores populi mei. » Et Psal. VII, vers. 13: « Nisi conversi fueritis, gladium eum vibrabit. »

Disce hoc capite quam dura fuerit servitus Hebræorum in Ægypto, ac consequenter quantum beneficium eis fecerit Deus, cum eos inde eduxit; quod proinde passim eis inculcat, ut grati sint Deo, eumque ament et colant: « Ego, inquit, Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicium vestrarum, ut incederetis erecti, » Levit. xxvi, 13. Est enim servitus mors quædam, puta amissio vite civilis, scilicet libertatis: hinc pro ea pugnant gentes, maluntque mori quam servire. Philippus rex irrumpens in agrum Spartani, dixit cuidam Spartano: Quid nunc facietis, Lacones? respondit eis: « Quid aliud, quam moriemur fortiter? soli enim Græcorum nos liberi esse, et non obedire aliis didicimus. »

Post cladem duce Agide acceptam, cum Antipater obsidum loco posceret 50 pueros: Eleechos tum Ephorus se eos daturum negavit, ne male educarentur, et ad instituta patriæ desciscerent civitati incommodi fierent: senum autem aut mulierum duplum, si vellet, numerum obtulit. Cumque Antipater atrociam minaretur, nisi darentur, publico nomine respondit: « Si difficiliora

morte imperas, facilius nobis erit mori. » Hinc Laco interrogatus quid sciret, ait: « Scio liber esse: » ita Plutarchus in Laco.

22. REVERTISQUE EST MOYSES AD DOMINUM. — Sep. Ver. 22. fuaginta vertunt, conversus est ad Dominum; quia enim Mozes prefectos Hebræorum dure a Pharaone exceptos, afflictos et passione nimia agitados, ideoque correptionis incapaces vidit, hinc tacuit, et in secretum suum sese recepit, atque ad Deum unicum in arctis presidium, suo more se orando convertit. Hinc prudenter S. Basilius, serm. De Gratis Deo agendis, modum consolandi afflictos prescribit, dicens: « Eum quem consolari cupis, prius parumper queri sinas. Deinde dolore paululum per lacrymas ejulatunumque sedato, tunc leniter et humaniter castigabis, itaque ad patientiam et animi tranquillitatem sensum revocabis. Nam et equorum demeritos equos fræno minime audientes, non statim habenis compescunt, aut calcaribus impellunt: sic enim sessoros exagitare et exortare discunt; sed eis obtemperando ab initio, ac minime resistendo, postquam iram et impetum paulatim consumptum defecere viderint, tunc arte quadam obtemperantes et ad omnia dociles reddunt. »

Rursus vide hic quam Moysi patientia et constantia invicta vicerit Hebræorum murmura, eosque sibi obsequentes reddiderit. Audiant fideles monitum S. Augustini, sermone 18 De Verbis Domini: « Cum quisque, inquit, Christianus cepit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensionem et contradicentes frigidos Christianos. Si autem perseveraverit, et eos superaverit perdurando, et non defecerit a bonis operibus, iidem ipsi nobis obsequuntur, qui ante prohibebant. »

DOMINE, CUR AFFLIXISTI POPULUM ISTUM. — Cur ei occasionem afflictionis dedisti, mittendo me ad Pharaonem, nec tamen ab eo liberando populum, sed potius permitiendo eum gravius onerari?

Quare misisti me? — Calvinus Mozen hic graviter culpatur, quasi ab officio desolverit, et amarulento tædio missionem et absolutionem ab officio petierit. Durus utique criticus: mitior censor est S. Augustinus, Quæst. XIV, dum ait: « Hæc non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis et orationis. » Idque de esse patet ex responso Domini, qui non arguit infidelitatem Mozi, sed eum quid facere oporteat, instruit. Sciabat Mozes jam ante a Deo doctus, Pharaonem obduratum cor, neque dimissurum populum; tamen de hac afflictione populi nihil a Deo cognoverat, sperabatque Pharaonem monitum, licet non dimitteret populum, mitius tamen eum eo acturum; contra vero jam accidisse videt, unde pie cum Deo exostulat.

Modus consolandi afflictos.